PROPOSITIONES LOGICO-METAPHYSICAE, ATQUE PHYSICAE QUAS PUBLICE...

Giovanni Gualberto Soldani Benzi

Digitized by Google

PROPOSITIONES
LOGICO-METAPHYSICAE, ATQUE PHYSICAE

Q U A S

PUBLICE DISPUTANDAS PROPONIT

D. IOHANNES GUALBERTUS
SOLDANI BENZI

F L O R E N T I N U S

ORDINIS SANCTI BENEDICTI CONGREGATIONIS S. MARIAE
MONTIS OLIVETI ALUMNUS.

Facta cuilibet poſt ſecundum argumentandi facultate.

FLORENTIAE ANNO CIƆ IƆ CCLXIIIIX.

TYPIS REGIAE CELSITUDINIS. PER CAJETANUM CAMBIAGI.

SUPERIORUM ADPROBATIONE.

Digitized by Google

Nos qui ſequimur probabilia, nec ultra id, quam quod veriſimile obcurrerit, progredi poſſumus, & refellere ſine pertinacia, & refelli ſine iracundia parati ſumus.

Cic. Tuſc. quaeſt. lib. 2.

Digitized by Google

PROPOSITIONES
LOGICO-METAPHISICAE.

DE PERCEPTIONE.

I. UT mens aliquid percipere valeat, praerequitur neceſſariò objectum, quod percipiatur: objectum porrò iſtud *ideam* adpellamus, quae ſanè a Philoſophis nemine diſſentiente, ſic definitur: *Spiritualis, & incorporea quaedam imago, ſeu ſpecies intellectui noſtro exhibens objectum, quod a nobis contemplatur*; vel ut aliis placet: *idea eſt objectum, quod proximè, & inmediate menti noſtrae obverſatur*.

II. Idearum porrò, perceptionumque plura ſunt genera; nam vel ſimplices, vel compoſitae ſunt ideae; vel ſingulares, particulares, univerſales, vel clarae, vel obſcurae, vel diſtinctae, vel confuſae, vel adaequatae, vel inadaequatae; omnes tamen eſſe in ſe veras nemo in dubium vertit, quum repraeſentato mentis objecto ſemper conreſpondeant.

III. De idearum vero origine longior eſt, & difficilior controverſia, & neſcio utrum alia ſit in Philoſophia tam implicata, & ſuper qua docti tanta ſint varietate, ac diſſentione conſtituti.

Digitized by Google

IV. Attamen omni ambiguitate hac ſuper re demiſſa Peripateticae ſcholae refragantes, & Carteſiano ſyſtemati inſiſtentes, Malebranchii, viri ceteroquin in cogitando ſubtiliſſimi, ſententiam amplectere, ſequentes dabunt propoſitiones.

V. Propter quod perceptionum, idearumque originem inquirentes, adfirmamus objectorum ſpiritualium, & inſenſibilium cognitionem, in hac praeſenti rerum diſpoſitione, a nullo ſenſuum adminiculo, & miniſterio neceſſario dependere; quamvis fortaſſe per ſenſus, ac ſenſibilia omnia excitari mens humana poſſit ad eorumdem perceptionem: eàque propterea ratione vulgatum illud Peripateticorum rejicimus: *nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu*, alteri ſimile: *nunquam anima intelligere poteſt, ſine corporeo phantaſmate*.

VI. Opinionem quoque circa materialia objecta, ſcilicet ipſa ad ſenſuum organa ſpecies inmittere materiales, & ſibi ſimiles, falſiſſimam abſolutè judicamus.

VII. Verum ſi omnis cognitio non pendet à ſenſibus, ut ex numero quinto, ſi objecta materialia non inmittunt ſpecies ſibi ſimiles, ut ex numero ſexto, jam neque anima producere poteſt cum ſenſorio illam ſpeciem materialem, & priori ſimilem, quae a Peripateticis vocatur expreſſa.

VIII. Qua de cauſſa chimaerica eſt veterum partitio in intellectum agentem, qui ita inradiat ſpeciem illam materialem, ut ſpiritualis evadat, & in intellectum patientem qui ſpeciem illam prius materialem, deinde ſpiritualem effectam, recipiat, ut adfirmant Peripatetici.

IX. Ad conſiderationem autem animae ut intelligentis, fatemur cum Carteſio ipſam intelligendo non agere ſed pati, hoc eſt, non ipſam ideas rerum cudere, ſed ipſi a Deo communicari.

X. Ta-

Digitized by Google

X. Tamen adverſus Carteſium ipſum volumus, non ita paſſivum eſſe intellectum, ut ei rerum ideae veluti modi, adfectioneſque inprimantur: quanquam ſi ingenitae dicantur ideae, non quae menti veluti adfectiones inprimantur, ſed quae à primo vitae momento ad extremum uſque nobis praeſto ſunt, ingenitas rerum ideas admittere non verebimur.

XI. Quod ſi in tanta rerum varietate opinio noſtra in medium proferri debeat, quatuor cum adcuratiſſimo, ac ſubtiliſſimo Malebranchio diſtinguimus percipiendi modos; primum quo res per ſeipſam adtingitur; alterum quo res per ideam claram cognoſcitur; tertium quo per ſenſum intimum, ſeu conſcientiam aliquid experimur; poſtremum denique, quo per conjecturam aliquid intelligimus.

XII. In prima claſſe unicus eſt Deus, qui per ſeipſum adtingitur, cujus cum nulla diſtincta idea excogitari poſſit, inmediate per ſe unitur: *neque idcircò beatitudinem ſumus adſecuti*, ratiocinatur S. Auguſtinus, *etiam ſi veritatem, aut Deum ipſum nunc mente contingimus ...... Quia ſtatim ſeſe obponunt caligines imaginum corporalium per nubila phantaſmatum. Nam ſicut nihil prodeſt aperire oculos, ſi quis ſit in tenebris; ita nihil prodeſt eſſe in luce, ſi clauſi ſint oculi.*

XIII. Quum vero corpora omnia per ſe uniri animae nequeant inmediatè, niſi per aliquod ſpirituale, quod *ideam* adpellamus, per ipſorum ideas claras cognoſcantur oportet. Has vero ideas non niſi in mente Creatoris exiſtere, neminem ſanè mentis in dubium revocare credimus; unde deducimus animam non niſi in Deo corpora ipſa cognoſcere.

XIV. Tertio licet Deus tam animae, quam corporis ideas contineat, animae tamen rationali, idea ſui ipſius

Digitized by Google

clarè non effulget, hinc ipſa eſt, quae per ſenſum intimum, ſeu conſcientiam ſe, ſuaſque adfectiones cognoſcit: quare ex hoc ſponte fluit, male omnino a Carteſianis illud circumferri: *nobis notior eſt mens, quam corpus*.

XV. Tandem poſtremo adlato percipiendi modo anima adtingit alias creatas mentes, ſive Angelicae ſint, ſive humanae.

D E I U D I C I O.

XVI. Secunda noſtrae mentis operatio illa eſt, quae judicium adpellatur; vi porrò hujuſmodi operationis convenientes ideas per adfirmationem conjungimus, repugnantes per negationem ſejungimus. Simplex propterea eſt mentis actus judicium, non quidem ex pluribus ideis compoſitum.

XVII. Actus vero hujuſmodi nullimodè ad intellectum, ſed omnino ad ipſam voluntatem referendus eſt.

D E R A T I O C I N A T I O N E.

XVIII. Ratiocinatio quoque, quae certè nobilius quoddam judicium adpellatur ex duobus, vel pluribus alijs judiciis reſultans, ſimplex eſt actus noſtrae mentis ad voluntatem, non ad intellectum ſpectans.

XIX. Quum duplex ſit libertas *ſpecificationis*, ſeu *contrarietatis*, qua potentia aliqua duos actus ſpecie diverſos ponere poteſt, amorem ex. gr., vel odium; & *contradictionis*, vel *exercitii*, qua eundem actum ponere poteſt, vel non ponere, ut amorem, & non amorem; ita & neceſſitas duplicis eſt generis, prima *contrarietatis*, qua potentia ipſa ita ponere poteſt aliquem actum, ut alterum huic obpoſitum

Digitized by Google

ſitum non poſſit ponere; altera *exercitii*, qua ita ponere poteſt ipſum actum, ut neceſſario illum ponere debeat. Hiſce hinc in anteceſſum ſtatutis, non veremur fateri humanam mentem alicuius ſyllogiſmi cognita praemiſſarum bonitate, iiſque adſenſu jam dato, neutra libertate liberam, ſed utraque neceſſitate neceſſitatam eſſe ad concluſionis adſenſum.

XX. Scientiam de rebus omnibus ſibi vindicaſſe quamplurimos Dogmaticos, nonnullos vero aliquam de aliquibus ſolummodo voluiſſe nemo ignorat, ſicut, & Academicos quamcumque ſcientiam denegaſſe. At contra primos, & poſtremos cum mediis demonſtramus, dari apud nos aliquam ſcientiam, ſed non omnium ſcibilium; ea tamen ſcientia, quae ex cognitione certa, & evidenti ſit progenita.

XXI. Carteſio heic etiam indulgere non poſſumus quod metaphyſicam ſcientiam è medio tollat, unde adverſus ipſum apertè adfirmamus metaphyſicas, ac poſſibiles rerum eſſentias, ita objectum inmutabile, atque invariabile conſtituere, ut neque per divinam Omnipotentiam mutari poſſit.

XXII. Sed neque cum Platonicis illud effatum eſſe ſtatuendum: *Noſtrum ſcire eſt reminiſci, & recordari*; Volumus enim ſcientiam eſſe cognitionem de novo adquiſitam, non vero reminiſcentiam, readſumtionem ſcilicet de iis, quae olim in mente extiterint.

DE METHODO.

XXIII. Tria ſcientiae amatori neceſſaria videntur antequam ad Philoſophiam animum intendat; primo, ut ſe ritè ad philoſophandum diſponat, ſecundo, ut primam veritate-

Digitized by Google

ritatem inquirat , tertio, ut veritatis Criterium addiſcat, quo verae ne ſint , aut falſae cogitationes dijudicare valeat.

XXIV. Carteſius hac in re omni ſanè laude dignus videtur, ex quo voluerit, univerſalem de rebus omnibus dubitationem ſemel in vita admittendam eſſe ab eo , qui primùm Philoſophiae operam navare inceperit; quae quidem dubitatio , ſi intra Philoſophiae limites contineatur, nec Scepticorum animo ſubſcipiatur, ſitque ſolummodo prudens animi noſtri ſubſpenſio, ac maturum rerum adfirmandarum examen, adhiberi jure, ac ratione poteſt ; ingenuo , ac Catholico Philoſopho indigna non eſt; veritatem ſincero animo inquirenti quam maximè utilis videtur ; quamvis fortaſſe apta non videatur ingeniis omnibus, & praeſertim adoleſcentium.

XXV. Prima autem veritas a Carteſio inventa tanquam certiſſima, eſt illa: *Cogito, ergo ſum*; haec enim licet ſit prima omnium certiſſima cuilibet Carteſiana methodo Philoſophanti obcurrens , non eſt tamen certitudinis cauſſa , atque principium.

XXVI. Quoniam autem circa hoc principium, quod exiſtimari debet tanquam teſſera, vel regula noſtrarum cogitationum, non parum dimicant inter ſe Philoſophi ; hinc niſi noſtra nos fallit opinio, facilis videtur eorum reconciliatio, ſi duplicem, praeter alias , juxta ſcholarum doctrinam admittamus veritatem , *metaphyſicam* , ac *naturalem* unam, ſive ut aiunt, *tranſcendentalem*; *Logicam*, ſive *Formalem* mentis alteram . Non ignoramus etiam Epicureos Criterium veritatis ex ſenſibus deſumſiſſe, & praecipuè Lucretium, qui lib 4. de natura cecinit v. 400.

Invenies primis a ſenſibus eſſe creatam
Naturam veri, neque ſenſus poſſe refelli.

XXVII. Pro

Digitized by Google

XXVII. Pro veritate itaque rei naturalis extra mentem exiſtentis, cenſemus veluti Criterium veritatis illud Scholaſticorum : *inpoſſibile eſt idem ſimul eſſe , & non eſſe*. Fatemur tamen hoc principium inutile prorſus eſſe ex ſe ad dirigendam mentem, inquirendamque veritatem.

XXVIII. Quamvis porrò Carteſius illud obſerat Philoſopho veritatis Criterium, principium nempe illud: *quidquid clarè, & diſtinctè concipitur, id de ea re eſt adfirmandum*, hoc tamen pro ſola veritate Logica, ſeu formali mentis ſtatutum volumus, adeoque dicimus unicum eſſe ad dirigendam mentem noſtram in inquiſitione veritatis, atque neceſſarium, ut unus poſſit ſtabili judicio, ac firma adhaeſione adfirmare, vel negare ideas illas, quas puro intellectù clarè, diſtinctèque percipit.

Digitized by Google

PROPOSITIONES
PHYSICAE.

I. AD Phyſicam, cui proprium eſt de Mundo, & de his, quae in eo ſunt, diſſerere, optimùm ducimus animum noſtrum convertere: *eſt enim*, ut inquit Tullius, *animorum ingeniorumque naturale quoddam pabulum conſideratio, contemplatioque naturae*.

II. Priusquam autem Phyſicam generalem adgrediamur, ut planior aperiatur via, praemittendas cenſemus celeberrimas illas philoſophandi regulas, quas ſummus Phyſicae Reſtaurator Newtonus ſelegit, quibus religiosè utuntur Phyſici recentiores, & quidem melioris notae, in explicandis naturae Phaenomenis, utpote quae caeteris utiliores, & magis facundae videantur, atque alias quascumque a Philoſophis traditas mira brevitate complectantur.

III. Prima igitur Newtoniana philoſophandi regula hiſce verbis expoſita reperitur: „ Non plures admittendae ſunt cauſsae effectuum naturalium, quam quae, & experimentis comprobatae ſunt, & effectibus explicandis ſubficiunt. „ Quis clarè non agnoſcit per regulam hanc à recta philoſophandi methodo excludendas eſſe hypotheſes omnes cauſ-

ſasque

Digitized by Google

ſaſque poſſibiles; Juberi imo, ne multiplicentur ejuſdem phaenomeni cauſsae, ubi una, & ſimplex ſat eſſe videatur?

IV. Secunda ita ſe habet: „ Effectuum naturalium ejusdem generis eaedem ſunt cauſsae „ Hujus regulae fundamentum in naturae ſimplicitate repoſitum eſſe norunt omnes. Et ſane ſi terreſtria corpora ad noſtrae telluris centrum media gravitate feruntur, cur dubitaverit quis adfirmare planetas quoque circa Solem rotantes ad Solis centrum propria gravitate deferri? quis inſuper eandem non agnoverit reſpirationis cauſſam in homine, ac in beſtia?

V. Tertia tandem ita apud Newtonum expreſſa legitur: „ Qualitates corporum quae intendi, & remitti nequeunt, quaeque corporibus omnibus competunt, in quibus experimenta inſtituere licet, pro qualitatibus corporum univerſorum habendae ſunt „. Eo porrò fundatur haec regula, quod eſſentialia corporis adtributa nequeant alicui corpori deficere. Quarè non ſolum de illis praedicari debet adtributis regula iſta, quae intendi, & remitti nequeunt, ut de extenſione, diviſibilitate, figura, inpenetrabilitate &c. verum de illis etiam quae augeri, & minui in eodem corpore poſſunt, ut de gravitate, ſeu adtractione, elaſticitate, poroſitate, &c.

VI. Solent autem Phyſici ferè omnes, quamvis fateantur ſolummodo corpus eſſe obiectum huiuſce ſcientiae, non admodum ſe ſollicitos oſtendere circa ipſorum corporum exiſtentiam, ſed ipſam libentiſſimè veluti indubiam ſubponere, praecipuè ex quo eodem ſemper ſubceſsù uſuvenirent Phenomena, ſive realiter, ſive idealiter corpora ipſa exiſterent.

VII. Nos verò, ne quid inobſervatum praetereamus, hanc volumus quoque ſub initium examini ſubjicere, nullum ver-

Digitized by Google

bum habentes de Georgii Berklei Hibernenſis opinione; deſtruit enim illa omnem fidem, omnemque Divinam auctoritatem, quae nos certos reddit de corporis exiſtentia.

VIII. Qua de re, quum Malebranchii veſtigia circa idearum originem heic ſectati ſimus, hac etiam in re, non tanti viri auctoritate, ſed rationibus ducti, ab illius opinione nequaquam recedendum eſſe judicamus; dicimuſque propterea cum ipſo, non eſſe ad quaeſtionem revocandum, utrum moralis habeatur iſtius exiſtentiae certitudo; experientia enim non interrupta, & adfectionum conſtantia moralem exhibet de exiſtentia corporis cognitionem: ſed abſolutè denegandum, corporum *actualem* exiſtentiam metaphyſica certitudine innoteſcere. Nullum ſiquidem argumentum poterit Phyſicus excogitare, quod eſſentialem oſtendat connexionem inter actualem exiſtentiam corporum, & mentis noſtrae adfectiones, quibus corporea adtinguntur.

IX. Statutum ergo quantum ſpectat ad corporis exiſtentiam, opus eſt Phyſico perſcrutari quid nam ſit corpus ipſum, ſeu in quo ipſius eſſentia, ac natura poſita ſit. Sed ut hoc definiant Philoſophiae ſectatores in varias, diſcrepanteſque diſtrahuntur ſententias.

X. Peripatetici ſiquidem exiſtimant corpus ita poſſe definiri: *ſubjectum ex partibus conſtans, quae per ſe, & radicitus exigunt extenſionem*; ita ut per eoſdem ipſamet eſſentia ſtat in *exigentia extenſionis*: Verum definitionem hanc ipſis relinquimus; *Poſſibili*, namque, non *actuali* corpori haec poteſt aptari, idcircò nullis inniti rationibus ipſam demonſtramus.

XI. Carteſius vero, eiuſque diſcipuli per ea verba: *corpus eſt ſubjectum actu extenſum*, in trina actuali dimenſione longitudine ſcilicet, latitudine, & profunditate ipſam corporis naturam locandam exiſtimant, eo quod nulla cor-

poris

poris idea haberi poſſit, niſi extenſio concipiatur. At quum haec extenſio in longum, latum, & profundum etiam vacuo, cujus exiſtentiam vindicamus numer. XXI. conveniat, placitum hoc è Phyſicis expellendum eſſe putamus.

XII. Extenſioni Carteſianae *inpenetrabilitatis* adtributum addidit Gaſſendus, ut ſic à vacuo, ſive loco omni corpore deſtituto, corpus ipſum diſtinguatur. Quum porrò ex ipſa inpenetrabilitate una ſimul cum extenſione omnia materiei adtributa, atque adfectiones non proficiſcantur, hinc tenemus, male & ipſum ſe geſſiſſe, dum arbitratus eſt, in ſola inpenetrabili extenſione, corporis naturam locandam eſſe.

XIII. Melius itaque cum Recentioribus ferè omnibus, de natura corporis abſolutè tuemur; ipſam nobis penitus ignotam eſſe, revera ſiquidem quidquid in corporibus contemplamur aut adtributum eſſentiale eſt, aut accidentale; quae omnia ipſam corpoream eſſentiam, ac naturam ſubponunt potiùs, quam conſtituant.

XIV. Aſt quamvis fateamur ignorare nos quodnam ſit conſtitutivum illud, per quod intimam, *logicamque* naturam agnoſcere valeamus; tamen non veremur adfirmare nullum corpus naturaliter exiſtere poſſe ſine *extenſione*, & *inpenetrabilitate*. Revera enim *naturale* corpus, & extenſum, & inpenetrabile eſſe neceſſariò debet.

XV. De exiſtentia, atque natura corporis actum eſt quantum noſtrae methodi brevitas patitur; jucundiora nunc perſcrutanda veniunt, quemamodum ſunt ipſorum corporum proprietates, atque adtributa.

XVI. Nomine vero adtributorum, proprietatumque corporum adpellamus adfectiones illas, quae ſemper corporibus naturaliter exiſtentibus inſunt, ſive magna, ſive parva, ſive dura, ſive fluida fuerint corpora.

Digitized by Google

XVII. Eſto porrò proprietatum Univerſalium vocabulo intelligant Phyſici proprietates illas, quae omnibus omnino corporibus conveniunt, diſſentiunt tamen dum harum enumerationem inſtituunt; nos cum celebrioribus octo enumeramus: *Extenſionem*, *Diviſibilitatem*, *Soliditatem*, *Inertiam*, *Mobilitatem*, *Quieſcibilitatem*, *Figurabilitatem*, *Gravitatem*, ſeu ut cum Newtonianis loquar, *Adtractionem*. At de ſingulis breviter aliqua in medium adferre, hoc noſtrum poſtulat exercitium.

XVIII. Qualiſcunque extenſio fuerit, ſive longa tantum, ut linea, ſive longa, & lata, ut ſuperficies, ſive tandem longa, lata, & profunda, quae corpori, & vacuo convenit, quamvis compoſita ſit ex infinitis, minoribuſque aliis extenſionibus, diſplicet tamen quibuſdam recentioribns, ut Muſchembroechio, ea extenſionis definitio, quam ſcholae communiter tradunt: *Extenſio eſt id, quod habet partes extra partes*; quum enim, inquit ipſe, quaelibet pars ſit extenſa, dicitur tantummodo extenſum extra extenſum, quod eſt, ut tradunt Logici, idem per idem definire.

XIX. Aliam propterea dedit celeberrimus Auctor hujus rei definitionem, nempe: *Multorum extra ſe invicem exiſtentium coexiſtentia in uno*, ut patet ex ſuis Elementis Phyſicis tom. 1. cap. 2. Verum non eſt cur ſimus de extenſionis definitione ſolliciti, teſte enim doctiſſimo Lokio lib. 3. cap. 14. definiri extenſio non debet, ſiquidem eſt res ſimpliciſſima, nullaque propterea indigens definitione.

XX. Corpus itaque naturaliter exiſtens debere eſſe neceſſario extenſum, non eſt qui dubitet. An verò omne id quod extenſum eſt neceſſario corpus ſit, hoc, magnum Carteſianos inter, & Moderniores Philoſophos parit diſſidium. Adfirmant illi eo quod judicant eſſe prorſus repugnan-

gnan-

Digitized by Google

gnantem extenſionem vacuam, ſeu omni corpore deſtitutam; negamus nos, ſequentem propoſitionem circa extentionem vacuam adſerentes.

XXI. Exiſtere, ſcilicet, actù in Univerſo ſpatium vacuum. Quum vero ſpatium hoc poſſit eſſe aut *enorme*, aut *coacervatum*, aut *diſſeminatum*, ſat eſt nobis diſſeminati ſpatii exiſtentiam multiplici ex cauſſa revincere, atque demonſtrare.

XXII. Quod ſi adverſarii, nimis fortaſſe curioſi, quaerant a nobis, ubi nam natura, eſſentiaque ſpatii vacui locanda videatur? utrum nempe ſubſtantia ſit, an accidens; an poſitivum, vel negativum ſit, & iis ſimilia; quum res admodum perplexa, & in extricabilibus difficultatibus obvoluta Philoſophis adpareat, nihil audacter pronunciantes circa rem hanc, judicium noſtrum cohibemus.

XXIII. Sed quoniam pluribus ex rationibus a numero XXI. mutuatis demonſtramus, non omne id, quod extenſum eſt corpus eſſe; quumque praecipuum extenſionis adtributum ſit diviſibilitas, de qua celeberrima illa, ac difficillima quaeſtio inter Philoſophos, ac Mathematicos continuò viget: an ſcilicet extenſio ſive pura, ſive ſolida in infinitum dividi queat; hinc judicium noſtrum proferendo, ſubſtinemus quamcumque extenſionem ſive vacuam, ſive mathematicam, ſive ſolidam ſemper diviſibilem eſſe in infinitum.

XXIV. Ne autem error hac in re obrepat, diviſibilitatem a *Sectilitate* diſtinguimus. Diviſibilitatis nomine intelligimus reſolutionem, & adsignabilitatem cujuslibet magnitudinis in ſuas partes. Sectilitatis vero vocabulo intelligimus actualem, & realem partium ſegregationem. Dum igitur divisibilitatem in infinitum tuemur, rejicimus profecto ſectilitatem in infinitum, imo adſerimus creatas vires ſuos habere limites, ultra quos obtinere amplius non poſſunt minutiſſimarum partium ſeparationem.

XXV.

Digitized by Google

XXV. Ad infinitam porrò Corporis diviſibilitatem revincendam uti poſſe Phyſicum non ſolum ratiociniis ex metaphyſica petitis, ſed etiam è Geometria depromptis, judicamus. Extenſio enim ſive mathematica, ſive Phyſica, ſive vacua eadem omnino eſt; etſi enim Geometrae extenſionem nudè ſumtam conſiderent perinde res ſe habet. Nam corpus non quatenus Phyſicis qualitatibus praeditum, ſed quatenus extenſum, diviſibile dicitur.

XXVI. Quod ſi ex noſtra de diviſibilitate ſententia inferat quis finitam quamlibet extenſionem partes in ſe continere actu infinitas, proindeque unum infinitum aliud excedere, hoc libenter admittimus: eſto enim ut abſurdum veteres olim timerent: *Unum* ſcilicet *infinitum majus altero futurum*, recentioribus tamen Mathematicis, Valliſio, Hoſpitalio, Fontanellae, nuperrimeque Reverendiſs. Grandio theorema eſt probatiſſimum.

XXVII. Inſuper ſi quis ſcire deſideret a nobis, quanta ſit materiae diviſibilitas, ad quam ope artis in Corporis diviſionibus deveniri poſſit, reponemus adeo admirandam eſſe materiae ſubtilitatem, ut humanum captum penè ſuperare videatur, quod pluribus experimentis, atque obſervationibus oſtendere parati ſumus. Quamvis non ignoremus etiam Joannem Keillium de hac admirabili materiae ſubtilitate eximia habere experimenta, & theoremata pulcherrima demonſtrare, quibus ſi non abſolutè mens noſtra confirmatur circa veritatem propoſitionis XXIII., tamen ad ipſam adjuvandam quàm maximè conducunt.

XXVIII. Sequitur nunc tertium materiae adtributum, nimirum figurabilitas; quod autem corpus quodcumque, ſive maximum, ſive minimum aliqua figura donandum ſit, ex eo neceſſario deſcendit, quod finitam, atque determinatam habeat extenſionem: optimè enim definitur figura: *Determi-*

nata

Digitized by Google

nata extenſio, *quam habet corpus*, *ſive materia*. Haec porrò figura in corporibus concretis inmutari utique poteſt, & variari, ſed nunquam ab illis abferri; non ergo eſſentialis eſt corpori haec, vel illa determinata figura, ſed ſolum *figurabilitas*.

XXIX. At ſi loquamur de primigeniis particulis diſſidium non leve eſt Newtonum, ac Muſchembroechium inter, & Bernoullium: adſerunt illi primigenias particulas nunquam deperdituras eſſe figuram, quam ſemel in creatione accepere; negat alter. Nos rationes ex utraque parte conſulentes Muſchembroechio & Newtono adhaerendum eſſe judicamus; conſtans enim naturae ordo hoc probabiliter ſuadet; neque continuitatis lex, quam objicit Bernoullius quidquam in contrarium evincit.

XXX. Haec autem perfecta durities, quam moleculis primis competere diximus, non eſt *abſoluta*, ſpectatis nempe quibuſcumque viribus aut ſupernaturalibus, aut etiam naturalibus poſſibilibus, ſed ſolum *relativa*, ſpectatis ſcilicet viribus creatis, quae nobis hucuſque innoteſcere potuerunt. Quare unicuique adtendenti conſtat controverſiam hanc de facto eſſe, non verò de poſſibili.

XXXI. Quaenam porrò ſit vera, phyſica, & realis cauſſa, quae valeat ſummam hanc adhaereſcentiam particulas inter primordiales producere, heic determinare non valemus; contenti enim ſumus tenacitatis effectum credere, & ſubſtinere, etiam ſi aut nolimus, aut nequimus originem, cauſſamque ipſius adsignare.

XXXII. Soliditas, quarta nempe Corporis univerſaliſſima proprietas apud Phyſicos nihil aliud eſt, quàm: *illud corporis adtributum*, *quo corpus aliquod alteri reſiſtit*, *ne id ſimul cum ipſo in eodem loco exiſtat*, uno verbo, *inpenetrabilitas*; hinc diſcrimen exoritur inter ſoliditatem, & duritiem, eſt enim duri-

Digitized by Google

durities: *firma partium corporis connexio*; ubi ſoliditas eſt penetrabilitatis repugnantia. Et revera omnia corpora, ſive dura, ſive mollia ſint, ſolida ſunt; at non viciſſim omnia corpora ſolida, dura ſunt.

XXXIII. Soliditatem, ſive inpenetrabilitatem hanc univerſale eſſe materiei adtributum, quod quidem non corpori compoſito ſolum, ſed partibus etiam hoc eſt particulis componentibus, ſemper (ſi naturaliter loquamur) conveniat, ratio, & experimenta demonſtrant, ſive ſit ſermo de fluidis, ſive de ſolidis corporibus.

XXXIV. Obcurrit nunc inertia quintum materiae adtributum: *quo unumquodque corpus proprium ſibi ſtatum tueri, atque conſervare nititur*; propter inertiam igitur corpus quietum nunquam movebitur, nec corpus motum unquam quieſcet, nisi nova, & peregrina adcedat cauſſa, quae ſtatum aut quietis, aut motus valeat mutare.

XXXV. Qui dubitare audebit, an reipſa in materia adtributum iſtud adinveniatur, motus jacturam, & communicationem, quam in corporum conlisionibus obſervamus, ſe ignorare fateatur neceſſe eſt. Quantitas enim motus, quae deperditur, aut communicatur ad evidentiam probat, corpus motum quieti, & corpus quietum motui reſiſtere.

XXXVI. Si autem inertiae leges introſpicere quis velit, luce clarius deprehendet, illam eſſe quantitati materiae proportionalem, duplam nempe in corpore duplo, triplam in triplo, & sic deinceps.

XXXVII. Nonnulli utique ſunt arbitrati, adtributum iſtud non eſſe a gravitate diſtinguendum, quatenus ſcilicet, sit potius gravitatis effectus, quam verum adtributum a gravitate diverſum. At quàm à vero Philoſophi iſti recedant, illud vèl maxime ſuadet, quod gravitas exercetur ſolùm perpendiculariter ad centrum gravitatis, inertia vero ſe ſe manifeſtat

ver-

Digitized by Google

verſus quamcumque directionem, ſive perpendicularem, sive obliquam ad horizontem.

XXXVIII. Imo nec deſunt experimenta, & obſervationes, quae revincunt gaudere corpus inertia etiam eo ipſo tempore, quo propria gravitate deorſum ferri nititur, atque deorſum tenditur.

XXXIX. Neque poſtulent a nobis Physici, utrum haec inertiae vis sit proprietas ab eſſentia materiae deſcendens, an potius peculiaris proprietas a Deo materiae in creatione tributa. Quum enim num. XIII. ſentiamus nobis ignotam penitus eſſe corporis naturam, adfirmare hinc non audemus adtributum inertiae neceſſariò ab eſſentia materiae deſcendere; bene vero quum omnia, quae corpora poſſident a ſuo Creatore adceperint, adſerere tutò poſſumus, vim hanc in ſua creatione a Deo ipsi materiae conceſſam fuiſſe.

XL. Si quid eſt in natura, quod a Philoſophis omnibus maximè inquiri, & adcuratiſſimè pertractari debuerit, id certe Sapientum omnium judicio eſt *Motus*, quum non ſolum *ignorato motu*, ut optimè ait Ariſtoteles, *neceſſe ſit quoque Naturam ignorari*; ſed etiam quòd ſublato Motu tollatur non modo Physica, quae corpus mobile contemplatur, ſed *omnes quoque aliae ſcientiae, & opiniones, ſeu artes, quae ſine motu peragunt nihil*, ut ſentit Epicurus.

XLI Quum porrò innumera sint, quae circa motus, & quietis naturam, quaeque circa varias horum adtributorum definitiones à variis Philoſophis in ſcholis tradita fuerunt, hinc hoc ipſum ſolum advertendum judicamus; diſcrimen nempe maximum adinveniri *mobilitatem* inter, & *motum*, *quieſcibilitatem*, & *quietem*. Mobilitas enim, ac quieſcibilitas omnibus omninò corporibus conveniunt, nec augeri, nec inminui, nec tolli ab ipsis poſſunt. Motus verò, & quies in aliquibus tantum reperitur, & continuò aut unum, aut alterum

Digitized by Google

terum extingui poteſt in corporibus ipsis. Uno verbo mobilitas, & quieſcibilitas motum, & quietem annuntiant *in ſtatu poſſibili*. Motus verò, & quies in ſtatu actuali.

XLII. Aſt quamvis idea motus simplex sit, adeoque definiri non debeat, communiter tamen apud recentiores Philoſophos definiri ſolet: *Tranſitus corporis de uno in alium locum*, sive *continua loci mutatio*, vel tandem, ut ait Epicurus: *Migratio de loco in locum*.

XLIII. Sed relictis omnibus his, quae ad hanc generalis Physicae partem ſpectant, hoc unum duntaxat adverſus Cartesium non veremur ſubſtinere: Motus, ſcilicet, corporum alios omninò perire, alios de novo èmergere; ita ut non ſemper in mundo eadem motus quantitas perſeveret. Adeo etenim a veritate aliena ſemper viſa fuit haec Cartesii opinio, ut etiam illi, qui ad Cartesii partes in pluribus deflectunt, hac in re ipſum turpiter lapſum eſſe adſerere non dubitent.

XLIV. Octavum tandem Corporis adtributum perſcrutandum nunc ſupereſt, gravitatem ſcilicet, ſeu adtractionem; vis etenim haec illa eſt, qua corpora & ad centrum terrae, & ad ſe invicem feruntur.

XLV. Neque negotium nobis faceſſit Turricellium ſummi ingenii virum, Magnique Galilei diſcipulum adſerere haud dubitaſſe, nullam eſſe in hac rerum universitate gravitatem, ſed omnia abſolutè, & in ſe eſſe levia. Quidquid enim excogitaverit sive jocosè, sive ſeriò Evangeliſta ipſe Turricellius, hoc unum tamen adverſus ipſum firmiter tenemus, extare nempe in rerum natura gravitatem abſolutam.

XLVI. Quin imò progredimur ulterius ſtatuentes, gravitatem hanc abſolutam omnibus omninò corporibus convenire, ut ex physica inductione facili negotio oſtenditur.

XLVII. Se ſe autem extendere etiam ad Caeleſtia corpora,

ra,

Digitized by Google

ra, ex circumvolutione planetarum circa ſolem, & ſecundariorum circa ſuos primarios adeo feliciter demonſtravit Martinus, ut extra dubitationis aleam id poſitum eſſe videatur.

XLVIII. Tandem cum clariſſimo Newtono ipſo concludimus, adtractionem, sive mutuam corporum tendentiam, veluti adtributum corporibus omnibus univerſale admittendum fore; tam enim feliciter hoc detexit Newtonus ex diurnis obſervationibus, atque ſubficienti experimentorum ſerie, ut noſtris hiſce temporibus nullum in Philoſophia progreſſum ſe feciſſe videatur, qui Newtonianam adtractionem aut ignorat, aut veluti falſam rejicit.

F I N I S.

Diſputabuntur publicè in Eccleſia

S. BARTHOLOMAEI FLORENTIAE

ANNO DOMINI CIↃIↃCCLXIIIX.

Menſe Martii Die Hora Pomeridiana

Praeſide D. Angelo Maria Calegari Veneto
in Monaſterio Monachorum Olivetanae
Congregationis Florentiae Monacho,
nec non Philoſophiae Profeſſore.

Digitized by Google

Digitized by Google